



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Christ. Francisci Paullini, Ferrariâ-Thuringi, Rerum Et
Antiquitatum Germanicarum Syntagma**

Paullini, Christian Franz

Francofvrti ad Moenvm, 1698

XXII. Ecbertus

urn:nbn:de:hbz:466:1-44860

XXII. Ec-
bertus.

XXII. ECBERTUS.

Multa fieri fecit domicilia, cunprimis dormitorium. Cum *Athalberone*, Episcopo in *Würceburg*, controversiam habuit propter jus Dioccesanum, sed exceptionem veterem obtinuit. Sub eo Monasterium ex Regia potestate ad Apostolicam Sedem transit. In colligendis Veterum historiis laboriosus fuit, amator antiquitatum. Moritur A. D. MLVIII. Prælatuæ X.

XXIII.
Sigfridus.

XXIII. SIGFRIDUS.

Professus Fuldensis, doctus & pius, Comes de *Epstein*. Fit secundo Prælatuæ anno Archi-Episcopus Maguntinus. Ivit postea ad terram sanctam cum *Trajectensi*, *Papenbergensi*, & *Ratisponensi* Episcopo &c. Difficile iter & multis periculis cinctum. (t) Reversus moritur in Doringia AD. MLIX. Jacet in Monasterio *Hafungen* O. S. P. nostri.

XXIV.
Wideradus.

XXIV. WIDERADUS.

Etiam Professus Fuldensis & Comes de *Epstein*. Hic est ille, qui *Goslaræ* A. D. MLXIII., tertio Prælatuæ suæ, (u) cum Episcopo *Hillesemensi* *Hezelone* pugnam cruentam habuit, præsentem *Henrico* Rege. (w) A pulvere suffocatur, cum curru veheretur, AD. MLXXV. Prælatuæ XV.

XXV.
Ruthartus.

XXV. RUTHARTUS.

Monachus *Herosveltensis* ab ipso *Henrico IV.* in curia sua electus, præter omnium opinionem. Utiliter præfuit & magna cum gloria Monasteria *B. Virginis* & *S. Michaëlis* sub regula *S. Benedicti* instauravit & dedicavit: Episcopatum in *Halberstad* magno zelo repudiavit. Moritur AD. MXCVI. Prælatuæ XXI.

XXVI.
Godfridus.

XXVI. GODFRIDUS.

Hic tristia vidit tempora. *Fulda* enim exusta AD. MCIII. & invidia rabiente apud Regem *Henricum* in curia, quam habuit in *Franckenward*, quasi negligenter curaret sua, anno MCIX. depositus est, Prælatuæ suæ XIII. Moritur *Coloniæ*.

XXVII.
Wolffhel-
mus.

XXVII. WOLFHELMUS.

Professus Fuldensis, *Henrici V.* gratiâ successit AD. MCIX. capellam *S. Alexandri* construxit versus Septentrionem. In bello contra *Ludovicum*, Landgravium *Doringiæ*, cum Abbate *Herosveltensi* parùm fortunæ sensit. Captus enim à Landgravio in obfessione *Wartpurgi*, in castro *Meysenburg* per tres

(t) Vid. Lambert. p. m. 172. seqq. (u) vid. Id. fulsissimè ad h. a. (w) Vid. chron. Hildes. Reutel. p. 85.